



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. XIV. An, & quomodo instrumenta reprobari possint per testes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

men contraria Instrumenta producantur à diversis partibus, tunc fides habenda est scripturæ digniori, publicæ scilicet & authenticæ, præ privata non authenticæ, quæ testibus vel alijs adminiculis munita est: quæ magis caret suspitione falsi, & magis negotio convenit, juxta *Gloss. in c. Impnari, V. Scripturas*: Si verò contrariæ tales scripturæ pariter omnino sint auctoritatis, & omnino æquales, tum absolvendus est Reus, quia Actore non probante absolvitur Reus, etiam si nihil ille probaverit. Si tamen contrarietas talis per commodam explanationem tolli possit, fieri debet, quomodo possit scilicet valere tale instrumentum, & cavere, ne pereat.

§. XIV.

An, & quomodo instrumenta reprobantur per testes?

Si testes omnes in instrumento scripti aut subscripti contradicant illi, assentes vel non esse ita actum, prout instrumentum assentit, vel se non inter fuisse, cum instrumentum conficeretur &c. reprobum, & fallum redditur instrumentum, nisi testes tales convincantur. *c. Tertio. §. De probat. §. c. Tam licet. §. 33. De Testibus*. Cum enim per testem inscriptorum aut subscriptorum fidem instrumentum firmetur, consequenter si hi negent, subscriptisse se, aut fuisse presentes, dum instrumentum conficeretur, aut contraactus fieret, nulla fides tali instrumento habenda est, si verò non omnes negent, aut contradicant instrumento, sed tantum aliqui, alijs tamen pro valore Instrumenti stantibus, sufficiunt ad valorem Instrumenti susti-

nendum, si duo omni exceptione majores pro illo stent, quamvis plures sint contrarij, cum enim numerus sufficiens & legitimus testium pro instrumento ad sit, non debet reprobari per aliorum supervacaneorum testium contradicentium depositionem, nisi multum excederet numerus testium reprobantium numerum duorum affirmantium; multum tamen in re hac controversa Judicis arbitrio tribuendum.

Sufficiunt tamen etiam duo testes tantum in instrumento non inscripti, neque subscripti, ad reprobandum publicum instrumentum, quamvis directè contra contenta in instrumento non deponant, modò contra instrumentum deponant, ostendendo illis falsitatem, eò quòd Notarius v. g. aut pars contrahens, aut testis inscriptus &c. alibi fuisse probetur eo tempore, quo confectum fuit instrumentum. Et quamvis Notarij auctoritas duobus testibus æquivalcat, intelligi tamen hoc debet de Notario vivà voce deponente, non autem de Notarij mortuà voce in instrumento.

Quòd si autem testes non inscripti neque subscripti instrumento deponant contra contenta in instrumento, quòd ab alia parte pro se producitur, Judicis arbitrio relinquendum, num major fides, varijs consideratis circumstantijs, instrumento, an duobus, vel tribus testibus contra contenta in illo deponentibus habenda sit: prout colligitur ex *c. Cùm Joannes 10. h. t.*

¶ (O) ¶